



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

VI. Tilletus Calvinum in Germaniam abducit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

Propheta nomen sibi ipsi tribuisset, atque eo dementia prouidentum, ut non Principibus tantum, verum etiam magno Regi maledixerit, eo quod suorum subditorum mortem contra illos ulcisci nolisset; atque ita excanduisse, ut non sine graui scandalo & tumultu pileum e suggestu proiecerit, & nullis solito more factis prius precibus, e concione digressus sit, illud tantum repetens: *Experiemini vos me Prophetam.* Præ ceteris vero omnibus qui in hoc genere aliquid attentarunt, Caluinus bene & elegantius scribendi laude excelluit: quam tamen frequentia scriptis eius inspersa in alios maledicta & scommata plurimum minuunt. Numquam enim ille ad scribendum accessit, nisi animo maleuolentia & inuidia suffuso; ut quemadmodum Draconis olim leges non atramento sed bile, atque adeo ueneno scripti videantur. (a) Neque enim bene tantum, sed etiam male dicendi palmam omnibus eum præripere voluisse recte dixeris. Quod tamen ille ipse ad Bucerum scribens ita excusat, ut dicat, *Hoc non tam ingenij quàm genij esse vitium.* (b) Inter elogia quæ Romanæ Ecclesiæ tribuit, illa mitiora quodammodo sunt quibus eam Babylonem appellat effrontem, derelictam, idolis seruientem, prostitutam, necromanticam, quid non denique? Etsi vero Caluinus primus fere & solus libris Gallica lingua conscriptis antiquam religionem conuellere conatus est; breui tamen magnum sectariorum numerum sibi adsciuit, homines, ut plurimum bonarum, & facrarum imprimis litterarum rudes, qui lepore & elegantia styli capti & quasi incantati, faciles nouitijs istis dogmatis aures non grauare præbuerunt.

Mordax certe, virulentum, atque adeo ferum Caluini ingenium non tam thema eius genethliacum (de quo supra) quam scripta ipsius produnt. Nullibi, ille Reges ac Principes mitius tractat quam præcursor ipsius Lutherus, brutas bestias, asinos, stultos passim appellans; quibus si contra Deum (id est contra Geneuensis Ministerij statuta) sedus incedant, aut moliantur aliquid, non modo non obediendum, sed facies etiam conspuenda sit. Quam vero eorundem titulum rider, quo se *Dei gratia* Reges aut Principes scribunt? An vllum unquam mordacius aut virulentius scriptum lucem aspexit quàm Caluini Institutiones? Quas ille toties à se interpolatas, tot tantisque conuicijs & iniurijs referre, ut non solum quidquid splendida bilis, sed etiam quidquid quartanæ febris, quæ medullas ipsi excedebat, quidquid calculi, quidquid hemigraniæ, quidquid hemorrhoidum dolores suggerere bæt, in scriptum illud effudisse videri possit, quibus ille effera,

& velut æstro percussus, in obuium quemque incurrere atque arietate nihil pensi habebat: at remittentibus paululum doloribus, ultra modum inflatus, suæ ambitioni velificabatur: & sic velut serpens venenatum istum lingua, & tamquam Basiliscus lethiferum aspectum oculis gestabat. Sed de Caluini ingenio cui potius credemus quam Volmaro? ei scilicet qui primus Caluini ingenium penitus explorauit, & animum hæresi corrupit. Sic vero ad Farellum scribit: *Non tam metuo ingenij (Caluini scilicet) τὸν θεράδωτον, quam bene spero. Id enim vitij aptum est rebus nostris, ut in magnum assertorem nostrorum dogmatum euadat. Non enim facile capi poterit, quin maioribus tricis aduersarios inuoluat.* Epistola hæc penes Ministrum quendam fuit Pictauiensem, Christianum nomine, quam ille compluribus monstrauit, odio atque æmulatione, frequentissimo inter istos homines vitio, adductus. Quin etiam Caluino Epistola illa ut sibi tradere tur petenti non modo non annuit, sed plura eius exempla inde descripta aliis communicauit: vnde capitales inter ipsum & Caluinum inimicitie existiterunt. Christianum Caluinus Papam Pictauiensem, Caluinum Christianus Episcopum Vniuersalem & summum Geneuensem Pontificem huius nominis primum per Iudibrium appellabat. Ad Caluinum placandum & Christiano reconciliandum Consistorium Pictauiense Alexandrum Gaudionem, Christiani collegam, Geneuam miserat, sed frustra. Neque enim faciles iras gerebat Caluinus. Et quamuis corpore non ita magnus, animo tamè vastus ac ferus, non minus quam paruus ille deus Terminus illud, *Cedo Nulli*, præ se ferebat. Launius certe qui & ipse ex eorum fuit numero, scribit, insitum veluti esse huic hominibus generi siue sectæ, ut nemini iniuriam condonent: adeoque fieri non posse ut qui tali ingenio non sit, diu Minister esse possit. Christianus ergo, quod pacem à Caluino redimeret, in Normaciam secedere fuit coactus: parumque absuit, quin Ministerio plane se abdicauerit: sed morruo Caluino, Pictauium ad pristinum munus fuit reuersus.

VI. Caluinus quamdiu Engolismæ commoratus est, Catholicum se simulauit sacris etiam, sed quæ fieri potuit rarissime interfuit, quin etiam à Collegio ad recitandas preces Latinas lectus fuit: quod munus semel atque iterum in ædè D. Petri obi-

a VVestph. in Apol. Conf. Cal. pag. 438. b Calu. in Ioh. Zach. 11. Ioan. 11. Ad Gal. 4. & 13. Amos. 5. In his lib. 4. c. 1. §. 3. & cap. 13. §. 20.

obiit. Ab omni certè, quàm diu Engolismæ fuit, quæ Catholicæ contraria esset, religionis exercitio, precibus ac concionibus abstinuit: illud solam in omni sermone quem cum tribus illis (de quibus supra) Ecclesiasticis habebat, professus, se veritatem indagare velle. Tilius haustis animo Caluini opinionibus, miro desiderio eos videndi incensus qui Catholicæ Ecclesiæ bellum indixerat, Geneuam primum, inde in Germaniam profectus, assumpto Comite Caluino. Id ægerimè ferens Tilius frater Curie Parisiensis Protonotarius, fratrem sequutus, breui in Galliam rediit, resto in Germania Caluino, qui postmodum Rufo, de quo supra, in familiam se dedit: in cuius comitatu plerosque Catholicæ fidei aduersariorum antesignanos visitauit atque alloquutus est. Memorabile est quod quum Caluinus a Bucero ad Erasmus, tergiversantem adhuc, nec hæreticorum libidini obsequentem, adductus esset, isque de intricatis aliquot religionis capitibus sermonem cum ipso contulisset, ad Bucerum conuersa oratione Caluinum demonstrans dixisse fertur: *Video magnam pestem oriri in Ecclesia contra Ecclesiam.* Simile quid de Berengario primo Sacramentarium auctore historiæ testatur, nimirum quum is in Fulberti Carnutensis Episcopi in lecto decumbentis cubiculum ingressus esset, sanctum virum à circumstantibus quæsisse, Quid is esset hominis, cui diabolus auribus nescio quid insufflantem videret. Tilius porro tam in patriam quàm ad meliorem mentem reuersus, Caluini doctrinam repudiavit, & ab ea semper postea abhorruit. Caluinus e contra ægrè ferens primo hoc veluti trophæo se defraudatum, Tilium quibus poterat modis suggillabat, turpiter eum defecisse, & ad Papistas se recepisse, in Præfatione Commentariorum super Psalmos scribens, nec vquam deinde eius memoriam nisi per conuicium & probum vsurpans. Tilius interim, contemptis his latratibus, publice facta, vt diximus, Lutheranismi (neque enim tum Calvinismus adhuc notus erat) abiuratione, Archidiaconus electus est: (de qua dignitate cum Renaudio, in Gallicis historijs ob prodicionem ac rebellionem, cuius signum ijs temporibus primus popularibus suis extulit, nō so, longa ei lis fuit) & quantum antea in promouenda, tantum deinceps in impedienda ac retundenda noua religione diligentia adhibuit.

QUIBUS MODIS CALVINUS DOCTRINAM suam propagare cœperit: & quibus Apostolis (scilicet) ad hoc vsus sit.

## CAPVT X.

## ARGUMENTUM.

- I. Calvinus apud Pictauos merces suas exponere incipit.
- II. Prima eius dogmata siue propositiones.
- III. Primum Calvinisticum Pictauis in horro quodam celebratum Consilium.
- IV. Primi Caluini Apostoli.
- V. Inuentus scholastica à Calvinistis seducta.
- VI. Mos omnium hæreticorum in sacerdotum vitia invehendi.

I. CALVINUS in Galliam reuersus, Pictauam concessit, & in doctorum hominum, quibus antea ex aliorum sermonibus notus erat, familiaritatem facile se insinauit. Tam scientia enim siue doctrina quam virtus facile amatores inuenit: & excellentia, siue ad bonum siue ad malum, ingenia, vt Philo ait, diu latere non possunt. Nec vllum commercij genus est, quo homines etiam maxime inter se peregrini, atque adeo absentes facilius colligantur, quam doctrinæ ac literarum. Harum comendatione Caluinus breui multorum sibi amicitiam adiunxit; & inter alios Francis Fonqueti, Prioris Monasterij Moulsteriensis, qui & hospitium ipsi præbuit: nec non Carolo Lesagi, Scholæ apud Pictauenses Rectoris in eodem quo Caluinus oppido nati, magnæ existimationis viri, præsertim apud regis matrem, regni tum gubernatricem: quæ & ipsa parum abfuit, quin fuerit seducta. Caluinus interim contracta eum doctis illorum locorum viris familiaritate ita utebatur, vt frequentem quidem faceret religionis mentionem, sed obscuram admodum & magis ad tentandum quam ad docendum. Tandem vero nonnullis secreta suæ religionis, & quid ipse de Lutheri, Melancthonis, & Zuinglij, quasi triumvirum opinionibus sentiret, aperuit. & in loca quam maxime potuit secreta abductis, scripta sua & precandæ formulas à se conceptas ostendit, & in genua pro-